

329



No. 329 a



K. 445



EPISTOLA
AD
ILLVSTREM
ET
EXCELLENTISSIMVM
GLEIMIVM
DE
OFFICIIS IN ERRANTES.



M D C C L X I X.

MUSEUM
EXCELLENTE
GILBERT
DE
SOCIÉTÉ

ROBERT





V I R

ILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIME,
AMICE CONIUNCTISSIME,



Quotiescunque omnem aetatem meam recognosco, et pueritiae memoriam recordor ultimam, inde vsque repetens, vt omnium studiorum actorumque meorum rationem ponam atque dispungam: toties animum meum ex pristinorum et errorum et delirationum documentis aegrum atque tristem, eius rei mirifice recreat reficitque conscientia, quod nullo vnquam tempore tam me voluptatibus abripi meminim, quin literarum veritatisque amor et studium semper reuocauerit.

Cum enim prima adolescentiae et iuuentutis spatia, tam lubricas habeant vias, vt insistere iis sine casu aliquo aut prolapsione valde sit difficile: tum ea profecto singularis felicitas existimanda est, si cui id obtigerit, vt ex ineptiendi libidine, quae nullos adolescentes non praecipitat, ingenuarum artium disciplinarumque sensu quodam ad animi aequitatem, et constantiam et omnem restituatur, erigaturque morum honestatem. Ego vero, VIR ILLVSTRIS et DOCTISSIME! cum veritatis studio, nescio an aliquo,
A 2 faltem



saltem non plane nullo, ab ineunte aetate duci me non inficer: id praecipue in maximo deputare lucro non vereor, quod eo semper omnes curas, omnesque meas direxi cogitationes, vt posthabita, in veritatis cognitione, aliorum auctoritate, puram et integram, quantum quidem in hac humani ingenii circumscriptione fieri potest, mihi veritatem vindicarem. Qua quidem in re, si magna prae aliis felicitate vsum me esse dixerō, nihil profecto dixerō, quod a veritate vehementer abhorreat. Plerorumque enim adolescentum sic fert natura atque ratio, vt in his ipsis studiis, in quibus nihil valet humana auctoritas, et quibus intelligentia nostra sic debet acui atque perfici, vt a seruilis obsequii turpitudine liberata, ad se redeat, sui iuris fiat, alios praecuntes sequi, et ad similitudinem malint sese, quam ad rationem componere. Me autem contra florentis aetatis hanc contagionem, quae magnorum postea in re publica malorum causa esse solet atque materies, munierat naturae meae ingenique quaedam, vt tunc interpretabantur, praua et morosa obstinatio, sed, quod ego postea expertus sum, mentis in libertatem sese vindicantis, et omnem tyrannidem reformidantis, ingenua et digna homine contentio. Quemadmodum enim in moribus, ex puerili proteruitate, et prurientis animi lubidine, reuocandis ad honestatem et modestiam, non Orbilii mei ferula in me expedita, non vocibus asperioribus, non obiurgationis saeuitia, sed sola virtutis et honestatis, quam ob oculos proponebant, regebar pulchritudine: sic quoque animum tum iam ita induxeram, vt eorum maxime sententias riderem et exagitarer, qui eas, dictatorio supercilio, inculcare mihi velle videbantur. Quare et iis, qui in docenda veritate, auctoritatem vel suam, vel aliorum, veluti medusae quoddam caput nobis intriuiali ludo obiiciebant, iis inquam vel maxime obstrepebam, et errorem saepius lubentius adripiebam, si libere



bere id a me fieri posset, vt ne in veritatis cognitione, quam liberam ab omni edictione esse debere, credebam, in aliorum verba iurare vnquam cogerer. Quod cum aduerte-
rent alii, quibus prudentioribus postea vtebar, magistri: non exstinguendum haud ignobilem, quem mihi natura ingeniumque meum adtribuerat, in veritatis studio, liberi iudicii amorem, sed alendum præceptis, et vanitatem, qua ille a recto tramite sæpe in transuersum rapiebatur, circumcidendam et amputandam esse censebant. Igitur sæpe numero blande et peramanter me admonebant, felices esse eos, qui in veritate cognoscenda, non iussu humano duce-
rentur, sed libero vterentur iudicio; recte me facere, quod ad hanc animi elationem adspirem; sed infirmam esse huius ætatis meæ intelligentiam, vt regi eam et in ordinem cogi valde necesse sit; si nollem auctoritati obsequi, præceptionibus saltem amantissimis hoc me obsequium debere, quo mentis acies, confirmata iis, in veritate indaganda eo liberius postea versaretur. Quæ sane commonitio hominum cordatissimorum, dicere vix possum, quantum mihi per omnem vitam meam profuerit; vt vel ex eo intelligam, pueros a magistris amari et obseruari, non obiurgationibus obtundi, et magistros ipsos cogitare idemtidem, discipulos sibi concreditos, non mancipia, quantum id omne veritati proficit virtutique. Sed sic quoque alebatur et adolefcebat liberi in veritate cognoscenda iudicii amor et studium; quod cum mihi prope innatum esse videbatur, tum vires capiebat ab ipsa ætate mea confirmatori. Non sine singulari quadam dei in me benignitate factum esse puto, vt adolescentia mea in ea inciderit tempora, quibus, vti quisque perspicaciori erat ingenio, ita a vanis opinionibus, et tumultuaria, quæ hæctenus in scholis atque academiis regnauerat, veritatem et inuestigandi et tradendi ratione refugiebat maxime. Ab istis enim primordiis illa exstiterunt scientiarum incrementa,
A 3
quæ



quæ hodie et admiramur et colimus. Reduxerat scilicet magno et ingenio et animo illud sæculi nostri ornamentum, magnus CHRISTIANVS WOLFFIUS, cum ratione philosophandi accuratiori, interiorẽ quoque veritatis cognitionem; et huius tam salubris tamque præclari instituti tantum tunc erat in hominibus studium, quantum esse potest maximum. Ego itaque, cum in academia Fridericiana, præeunte immortalis gloriæ viro ALEXANDRO GOTTLIB BAVM-GARTENO, in ea confirmarer sententia, nihil in veritate addiscenda amori, nihil odiis, nihil auctoritati, sed rationi danda omnia, et ab eodem ad rerum præclarissimarum scientiam institutus et excitatus essem: tum postea ab ipso incomparabili philosophiæ instauratore CHRISTIANO WOLFFIO sic instituebar, vt e patris auitisque erroribus mentem recolligerem, et solius rationis vestigiis, quantum fieri potest, diligentissime insisterem. Quare cum semper ita animatus fuisset, vt auctoritatis humanæ iugum inscientiis et veritatis tractatione ferre nollem: hæc animi inductio postea mirifice augebatur, et sic confirmabatur, vt nec antiquitate sententiæ, neque nouitatis gratia, neue dicentis existimatione, neue alia re vlla imponi mihi sinerem. Accedebat et illud, quod postea animaduvertebam, neminem vllum tam feliciter in veritatis inuestigatione versari posse, vt nullibi offendat, nusquam incurrat; et summos quoque viros ita suos pati manes, vt in præstantissimis eorum scitis, error vnus et item alter ad reprehensionem sit notabilis. Scilicet humani ingenii circumscriptio nemini vnquam eam felicitatem permittit, vt veritatem omnem, sine vlla erroris admistione adripiat; quemadmodum nec aurum sine scoriis, neque gemmæ sine maculis, effodi possunt et erui. Ex hoc autem instituto, et multos alios, et eum præcipue tuli fructum, vt veritatis origines, et æterna illa ac immutabilia perspicerem principia, atque vt deuitatis erroribus plerisque



que, et magnifica quorundam licet valde incertæ doctrinæ ostentatione sprete, et posthabita, pauca quidem, sed certa et vtilia dilcerem. Sed cum viderem quoque, magna opus esse cautione et circumspectione, si in tanta veritatis et erroris vicinitate, veritatem integram et illibatam consequi velimus: dissentientes ferendos, et ipsos adeo errantes non morose obiurgandos, iniuriisque et contumeliis exagitandos sed ipsius veritatis viribus in viam esse reuocandos, statuebam.

Neque huius rationis meæ vnquam me poenituit. Sic enim et tutior nobis est veritatis possessio, et ex aliorum hallucinationibus proficimus, et errores magis infringimus et debilitamus. Si autem vlla in re, in veritatis profecto christianæ disciplina, hoc me eodem animo indui, vt nihil nouum et inauditum plane spernere, nihil antiquum superstitione colere, errantes ferre, et ex eorum erroribus, veritati adeo præsidia constipare soleam. Neque hæc animi æquitas fraudi cuiquam esse, aut vitio verti debet. Qui enim errantes fert, errores non statim probat, nec eadem apud illum erroribus, quæ errantibus parata est venia.

Nihil frequentius inter homines nihilque iisdem est errore atque halucinatione sollemnius. Testatur illud experientia atque vsus testis sane quam locupletissimus, nec ipsi culpæ conscii mortales inficiantur. Hinc tritum illud consuetudine et peruulgatum: *errare humanum est*, sæpe numero exauditur, quo ad vitia quoque excusanda et palianda abutuntur, quibus omne in infirmitate est præsidium, et suæ turpitudinis confessio, non est difficilis. Et qui fieri aliter potest? Cum enim ea sit mentis nostræ imbecillitas, vt longinqua veluti oculorum acies per interualla media caligantium, coecutiendo tantum videat: hominem citius ab homine tollere, quam errorem possis ab humana mente. Neque





que tamen ideo statim eiulandum et ingeminandum puto
Homericum illud:

ἄδεν ἀκιδιότερον γαῖα τρεφεῖ ἀνθρώποις
 πάντων, οὐσα τε γαῖαν ἐπιπνεῖε τε καὶ ἔρπει.

Non enim magis intellectus humanus errorem potest effugere, quam homo ipse fatum mortalitatis. Ferenda potius hæc in errorem propensio, error ipse imperterriti animo superandus, fortissimeque ad veritatem est eluctandum. Hoc hominis est et viri, planctus et inermis illa in halucinationem eiulatio, anicularum. Atque ideo ego, singulari numinis benignissimi providentia fieri arbitror, vt semper quaedam sit veritatis cum errore societas, et quaedam vt ita dicam, confinia. Error omnis vel dimidiam habet veritatem vel quamdam certe eius partem. Cognoscere licet illa confinia, et ab errore veritatem separare; dimidiam, quæ omni errori inest, supplere licet veritatem; studio tantum atque indefessa opus est diligentia. Qui igitur de erroribus conqueruntur semper; nae illi pinguissima desidia obtorpuisse mihi videntur. Vera autem hæc esse, quæ de veritatis cum errore statuo confortione, omnis erroris exempla arguunt. Cogitemus, quæso, veterum de diis doctrinam aut potius superstitionem: non erroribus illa tantum, sed errorum scætet portentis. Nihilo tamen secius, vt aurum in scoriis, sic veritatis aliquid latet in hisce deliramentis et febriculosæ impietatis veluti purgamentis. Docuit id imprimis magni vir ingenii, maioris tamen lectionis **T O B I A S P F A N N E R V S**, qui cum prudentia in agendo literarum coniunxerat laudem, in elegantissimo theologiæ gentilis purioris systemate, docuit quoque **P E T R V S D A N I E L H V E T I V S** in demonstratione euangelica, docuerunt alii copiosissime atque solidissime. Exemplo dicta confirmabo. Spiritu dei infusam rebus vitam, post græcos **E M P E D O C L E M**, **A N A X A G O R A M**, **D E M O C R I T Y M** et **M E T R O D O R V M**,





DORVM, **VIRGILIVS** quoque agnouit, et diserte prodidit iis in locis, quæ magnum illud ingenium immortalis **HVGO GROTIVS**, in libro de veritate religionis christi-
næ diligentissime collegit. Non profecto, quod pueri in fa-
ba, sed magni momenti in fabularum superstitionisissimarum
sterquilinio inuenimus veritatem. Spiritu enim dei omnibus
rebus lucem vitamque datam, ipsa quoque oraculorum san-
ctissimorum effata certissime tradunt.

Officia autem in errantes sua se præstantia et vtilitate
maxime commendant. Iubet nos et ratio & christi-
næ disciplinæ præceptio, ad similitudinem dei tantum eluctari, quan-
tum humani ingenii infirmitas illud patitur maxime. Quare
cum deus non statim fulmina et pestem in errantes expediat,
sed cum iis quoque illa beneficia sua communicet, quæ libe-
ralissime in omnes homines solet distribuere; quidni homi-
niones nos, qui ipsi ab errore immunes non sumus, alios ho-
mines, hoc est necessarios et propinquos nostros, errantes &
hallucinantes comiter ferre, eosque omni colere officio, æ-
quum sit? Est præterea diuinæ sapientiæ hoc signum, & posi-
tum ad omnium temporum memoriam monumentum, quod
has vices habeat hominum cognitio, vt sæpius errores ex ve-
ritate, ex veritate sæpe error existat. Nulla vnquam tanta
fuit deliratio, quin ad veritatis indagacionem et adcuratiorem
certioremque explorationem aliquid profuerit. Et hoc illi
volunt, qui sæpius dictare solent, magnis viris, quod aliquan-
do errauerint, gratias habendas, non ignominiam affricandam;
plus nos ex illorum aberratione, quam quis putet, proficere.
Sane, nisi **ARISTOTELES** & **PTOLEMÆVS** multos, ridendos
sane, de huius vniversi coagmentatione, de siderum cursu &
reuolutione exclusissent errores; nunquam a **TYCHONE**
emendata, & a **COPERNICO** in eum locum adducta fuisset ea
disciplina, quæ siderum positus, et vices, et recessus disces-
susque, et huius rerum vniuersitatis rationes agit et exqui-
rit,

B

rit,



rit, vt vltioris progressionis spes sit haud sane vana. Porro in illa quoque scientia, quæ Physica dicitur, quid est, quod non ab erroribus virorum egregiorum profectum sit? Illæ scilicet de antipathia et sympathia, de qualitatibus occultis, de antiperistasi, de aliis sexcentis, pueriles profecto commentationes, posteriorum ætatum sapientibus occasionem patefecerunt, illa mysteria, quæ inuida quodammodo natura multis texit tenebris, innumerisque obsepsit difficultatibus, penitus perspiciendi. Qua quidem in re, cum magna felicitate vsi fuerint; factum tandem est, vt nunc demum effluuiorum vim, motus tactusque effectiones, cohæfionis & adhæfionis regulas, grauitatis rationem, vires centrales, elasticitatis & electricorum corporum mirabilem naturam, & multa præterea alia adcuratius cognita habeamus. Et hisce forsitan sententiis nostris, quas magna nunc religione colimus, aliquis error inest, qui posteris ad noua veritatis incrementa aditum olim patefaciet. Et illa ipsa, qua omnis humani generis salus et incolumitas continetur, christianæ religionis disciplina: num erroribus semper vacauit? Ego quidem, nunquam a me impetrare potui, vt huic sententiæ subscriberem, cui et superiorum temporum memoria et omnis antiquitas vehementissime reclamationat. Christus quidem, quod negare nemo sine piaculo potest, puram et integram tradiderat veritatem; eandemque profitebantur, qui eius in hisce terris versantis institutione vsi fuerant, apostoli. Sed infrequentium temporum ratio longe fuit alia. Illi enim ipsi prisca ecclesiæ magistri, quos tamquam veritatis omnis fontes, et præsidium, consecrauit stulta quædam, non solum romanensium, sed multorum etiam ex nostratibus, superstitio; illi igitur ipsi tot et tam putidos sparserunt errores, vt vix ab anicularum commentationibus febriculosius quid possit proficisci. *Athenagoras* e. g. cultum angelorum defendit, & δευτερον γαμορ ουπιστην ειαι μοιχιαν inuitis rationis et sancti-

cti-



Etissimorum oraculorum scitis effatisque opinatur. *Tertulianus, Cyprianus, Basilius M.* eo usque iniuriæ patientiam vrgent, vt Christianos non solum alapas, talitra, & inflictas capiti matulas perpeti, sed adgressori etiam caput detruncandum sponte præbere iubeant. *Ambrosius* ante legem mosaicam et euangelium adulterium fuisse licitum, ait. *Hieronymus* in Paulum est iniurius, eumque non solum ignorantia arguit, sed acerbe etiam perstringit, qua ex re male audit apud *Danielem Heinsium* in Exercitat. Sacris L. IX. c. 4. p. 447. Et quis tam per omnem vitam ignauus fuit aut incuriosus literarum, vt nesciat male sanas *Origenis* nugas? Immo male intellecta *Platonis* philosophemata eo quosdam ecclesiæ patres adduxerunt, vt non solum ridentes sed impios etiam ingenii foetus excluderent.

Nolo hac in re edisserenda longior esse, cum præsertim otium heic mihi fecerit B. MOSHEMIVS in egregia de turbata per Platonicos ecclesia dissertatione, nec non COLBERGIUS in libro eruditissimo, quem *Christianismum Hermetico - Platonicum* (*Hermetisch - Platonische Christenthum*) inscripsit. Prudens iam silentio inuoluo crimina nonnullorum patrum ecclesiæ, facinora scelestissima, flagitia atrocissima. Notauit eadem et seuerius quidem notauit BARBEYRACVS doctissimus, in splendida præfatione ad PVFFENDORFIVM. Taceo ATHANASII M. symboli conditoris errores. Errauit enim non solum falsa docendo, sed etiam crimina perpetrando. Et illud quidem salua veritate fateri licet; veritati enim patrocinaur, non hominum vitiis. Utinam vero sanctior vel prudentior certe fuisset ATHANASIVS, haberemus sane, quibus illius impetus retundi possent, qui in scriptione quadam germanica, ex viri vitiis doctrinæ et symbolo maculam adspergere voluit. Sed stabit nihilo scius inconcussa veritas.



Fluit ex hoc fonte, scilicet ex mendaci dei & religionis cognitione superstitio, cuius vis, nisi veritatis custodia id prohibeat, latissime potest grassari, omnia, quæ sanctissima nobis esse debent, contaminare, & pus suum atque venenum ad earum rerum omnium, quæ humano patent ingenio, diffundere scientiam. Huius autem nefariæ pestis origo, error est, qui, cum per omnem fere tacite atque occulte serpit humani generis ambitum, nec palatiis sanctissimisque numinis adytis magis parcit, quam rusticæ simplicitatis tuguriolis, tum hanc etiam infelicissimam suam progeniem, superstitionem, vbique spargere atque disseminare potest. Cum vero cultus omnis a cognitione perfectionis alterius pendeat, et perfectionis adeo diuinæ notitia ipse quoque dei cultus nitatur, hæc autem perfectionis diuinæ cognitio, per humani ingenii imbecillitatem, falsa atque mendax esse possit: consequitur sane, cultum etiam numinis posse superstitione corrumpi, atque a vero detorqueri cursu. Iam magno quidem dei beneficio prostat seruatoris vera cognitio in diuinis istis tabulis sancita: sed, quæ est humani ingenii leuitas et mira in errores pro pensio, hanc ipsam tamen cognitionem, tam immanibus posse contaminari erroribus, vt sui prorsus dissimilis ad sacerilegii confinia proxime accedat, omnium temporum historiæ, & tot insanientium hæreses atque factiones clarissime testantur. Hæc autem corrupta religionis christianæ cognitio rapit animas atque voluntates ad insanas cupiditates, officii in Christum atque pietatis superbo nomine palliatas, vt nonnisi ille, qui opinionis imperia detrectat, eius furorem atque rabiem possit aduertere; hinc existunt miræ gesticulationes, quibus summum numen colere sese profitentur miseri, sed superstitiosa atque indigna hominibus salutis nostræ instauratorem prosequuntur proteruia.

Hac





Hac olim correpti superstitione, in honorem religionis christianae fabulas confingebant et spargebant latissime. EVSEBIUS e. g. SOCRATES, SOZOMENVS, THEODORETVS, EVAGRIVS, alique, fidenter narrant, CONSTANTINVM M. cum in expeditione contra MAXENTIVM esset, ipsum submeridiam crucem auream ex nubibus, suspensam vidisse, cui inscriptum fuerit: *εὐτυχῆς νικῶν*. Sed fabula est. Porro IULIANVM, cum in prælio cum Persis sagitta vulneratus fuisset, repletis cruore manibus sanguinem in aerem projecisse, et impiam vocem *vicisti tandem* --- iactasse tradunt. Miror saepenumero, viros, etiam doctiores prudentioresque hac narratiuncula IULIANI insaniam patefacere velle, cum tamen fabulam eam esse B. HEVMANNVS clare ostenderit.

Crucis Christi inde ab antiquissimis religionis Christianae temporibus tanta exstitit existimatio ut nihil eadem tum ad daemones fugandos, tum ad morbos corpore depellendos salubrius esse putaretur. Hinc eius signum et in horrendis illis fascinationum carminibus adhibebatur, cuius rei exempla THOMASIVS in historia sapientiae et stultitiae retulit. Et haec delirandi libido eousque animis romanensium infidet, vt nec euelli inde vlllo pacto possit. Quin quotiescunque animo metior numerum reliquiarum crucis Christi, quae abistis circumferuntur, eaque *πολλῶν καμηλῶν φορτία*, quod de veterum Iureconsultorum innumeris voluminibus peracute olim dicere solebant, esse cogito: non possum non labiis in cachinnum fere distortis horum hominum inficetum ingenium ridere.

Cum sacrae coenae vsus a Christo in animae salutem destinatus sit: aniliter profecto illi delirant qui hac re corporis valetudinem contra mortis imminentis impetum obstipari posse sibi persuadent. Porro cum sacrae



coenae vsus animae salutaris esse nequeat nisi de emendatione sollicita Christi meritum vera fide amplectatur, (ignosce horridiori sed ecclesiastica vrenti latinitate) grauer fane illi errant, qui qualiscunque tandem animi sit conditio, certam tamen salutis aeternae expectationem tumultuario harum coelestium epularum vsu sese adipisci existimant.

Sed vt vt haec sunt; id tamen, quo quisque est aequior ita dabit lubentissime, theologos nostros eximianissimarum delirationum, et nefandissimae impietatis fordibus et quisquiliis hunc fructum collegisse, vt doctrinae christianae veritatem adcuratius et diligentius rimarentur, in eaque re cum diuinorum oraculorum studio rationis vsum constanter coniungerent. Quaquidem ex contentione, fane quam nobilissima, illud existit, vt religionis christianae firmamentum, tentari quidem, et dolis insidiisque expeti, sed conuelli nunquam posse adpareret, et huius sanctissimae doctrinae cum ratione consensus, et praestantia et ad felicitatem nostram certissimus vsus longe lateque constaret. Nunquam profecto perspexissemus diuinae sapientiae, in populi israelitici fati temperandis magnitudinem, nisi hac nostra aetate in dubium fuissent vocata a IOANNE TOLANDO, TINDALIO, COWARDO aliis; quibus sese opposuerunt theologi spectatissimi, magno et ingenio, et doctrina praediti. Et quis olim tam clare criminum omnium primordia inauspicatissima, auctoribus humani generis parentibus ad omnem posteritatem propagata, quis haec tam alte olim perspexit, atqui illa a nobis intelliguntur, postquam hac etiam in re, vt euigilaret virorum doctissimorum diligentia, errores effecerunt et eorum studia, qui nescio, quo ausu, certe non sine aliqua insania, vilissimis interpretamentis, haec primae aetatis



acta ad fabulas reuocare, et ex omnium hominum memoria delere cupiunt.

Verum et hoc magnum videtur ad errantium amorem hominibus persuadendum, quod error amoris officia non tollat, sed augeat. Quæ enim quæso futura esset humani generis fortuna, si errore dissoluerentur amicitia et officia? Iurgiis, rixis, digladiationibus omnia conquassarentur; periret salus, et tranquillitas, tolleretur pax; euanesceret, illud ipsum veritatis studium, quod felicitatis humanæ summum et certissimum est præsidium. Porro, quo magis labi et errare alios videmus, eo nos diligentius eos reuocare ratio iubet, et humanitas; hoc autem sine amore fieri nequit. Non enim veritas imperatur, nec iurisiurandi religione sancitur; sed rationibus et argumentis hominum persuadetur animis. Est quoque ita natura comparatum hominum ingenium, ut si, amice et blande moneatur, citius redeat ad officium, quam si iniuriis conuiciisque lace- retur. Veritatem amamus omnes, sed contumeliam nemo tam est patiens, qui non reformidet, eaque in furorem detur, cum leniri et compefci debeat.

Quæquidem omnia, nisi nos, qui inter errantes quotidie versamur, moneant, errantes, et ferendos esse et amandos, aliis id nobis vnquam persuasum iri argumentis, valde dubito. Noui quidem esse quosdam, qui tam proteruos esse errantes dicunt, ut ipsi alios laceffant. Sed sapientis est, non prouocare iniuriis, easque ferre aequo animo; idque cum omnes, tum eos præcipue decet, qui veritatem publice profitentur, et suavisissimi seruatoris exemplum animo et moribus exprimere student.

Hoc



Hoc ego in errantes adfectu feror, VIR ILLVSTRIS
 et EXCELLENTISSIME. Errorem quidem profligare
 omnibus viribus contendo, sed homini parco, qui errore
 correptus est, vel erroribus indulget. Mentem meam sincere
 TIBI exposui. Alii autem aliter sentiunt. Est audax Græ-
 colorum gens, quæ errantibus honorem auferre, studio-
 rum ornamenta eripere, et quæ iis adfulget lautioris fortu-
 nae spem, opere ipso peruertere, studiosissime quaerit;
 sunt etiam, qui animo ducti assentandi artibus dedito,
 omnes opiniones amplectuntur, quæ ineptientis saeculi
 genio se commendant. TV VIR ILLVSTRIS, quod
 sine vlla adulationis suspicione, a quo errore longissime
 absum, profiteor, iis literis abundas, quæ diuinitate et
 praestantia sua animum ad aeternam praeparant felicita-
 tem, TV, quæ non saeculi huius humanitas est, homines
 amas, et virulenta scripta in contumeliam errantium edita,
 abhorres; vera TV virtutis ornamenta in laude TVA ponis,
 et ea omni animi contentione consecraris, quæ sapientissi-
 morum hominum iudicio perpetuum adferunt decus. Vale
 dulcissime GLEIMI, multis mihi nominibus colendis-
 sime, et me amantissimum TVI ama. Ipsis Kalend.
 Septembr. MDCCLXIX.




coll

Ph 736
S

ULB Halle 3
006 908 926



EPISTOLA
AD
ILLVSTREM
ET
EXCELLENTISSIMVM
GLEIMIUM

E
ERRANTES.



LXIX.

